



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 2. Solvuntur reliquæ Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

positivum creandi; Ergo per ablationem præ-
dictæ eius creaturæ, formaliter loquendo, non
potest alius effectus formalis resultare, quam
ablatio eius volitionis. Et sicut calor constituit
calidum, repugnatque in terminis, ut sola abla-
tio caloris, sine positione alicujus termini po-
siti, resultet frigidum positivum; ita per ab-
lationem creaturæ prædictæ, resultabit aliquid
negativum, non positivum.

RESPONDENTUR. Jam, Positivitatem hanc desū-
munt ex ipso, quod dicit actus liber in recto, non
vero ratione objecti. Quod adfertur de cali-
do, id non obstat; quia si sine forma v. g. frigi-
do, haberetur frigidum per solam negationem
caloris, haberetur effectus formalis frigidi, sine
sua forma, hoc est frigore, cum sola negatio ca-
loris, non sit frigus; tale autem absurdum in
prædicto non sequeretur; habebitur enim unde
desumatur, ratio positivitatis in illo actu, nem-
pe ab ipsa entitate; licet non desumatur à con-
notato & objecto.

Ad id ex ablatione creaturæ, quæ circum-
stant ablationem Dei, quæ volebat illam
creaturam, ex ablatione inquam creaturæ illius,
sequitur ablatio volitionis divinæ, non secun-
dum id, quod dicit volitio in recto, pro subje-
cto intrinseco intrinsecè requisito, sed sequitur
ablatio volitionis divinæ, secundum id quod di-
citur obliquo, pro aliquo extrinseco intrinsecè
requisito.

Punctum Difficulta-

tis 2.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

OBJECIT 4. idem. Per nos fit valde ridicu-
la efficacia actuum Dei; quia Deum vel-
le, nihil aliud esset formalissimè, quam Deum
creaturam efficere, consequenter dicere:
Deum, omnia quæ vult, efficere, in re ipsa ex-
positis terminis, nihil aliud esse, quam quòd o-
mnia, quæ facit, facit; & sicut nulla est præro-
gativa muscæ, quæ omnia facit quæcunque facit,
sic nec erit prærogativa efficaciæ divinæ.

RESPONDENTUR. Falsum esse quòd per nos
Deum velle, sit formalissimè Deum creaturam
efficere; nam imprimis in ipso formaliter velle,
potentia Dei executiva, quæ est omnipotentia,
non importatur; importatur autem in efficere.
Actus, efficere importat existentiam actu ex-
ercitam; velle autem divinum importat exer-
cendam; solum ergo velle & facere Dei acti-
vum, erunt idem entitativè.

Nec inde sequetur hujus propositionis; Deus
omnia quæ vult, efficit, sensum hunc fore;
Omnia facit quæcunque facit: Quia connota-
tum, vel factibile non est facere; cum
ergo voluntas solum connotet factum vel fa-
ctibile, non supponet pro facere; consequen-

ter nec prædictum sensum faciet. In hoc ergo
stabit efficaciæ divinæ prærogativa, quia ipsi
eius velle, subest posse.

INSTAT 1. Sicut ego per amorem à me pro-
ductum sine altero prævio constituor amans;
ita & Deus sine ullo actu prævio, dum produ-
cit creaturam, constituitur liberè eam volens;
Ergo Deum velle idem formalissimè, est ac pro-
ducere.

RESPONDENTUR. Pro priori non tantum
rationis signo, sed etiam æternitatis duratione,
præcessit volitio faciendæ creaturæ, ipsum fa-
cere creaturæ. Quod si accipitur prædictæ futu-
ra factio creaturæ, præsupponitur illi volitio,
tanquam causâ omnipotentiam applicans, & in
suo genere concurrans. Falsum ergo est, non
esse in Deo ullum actum prævium, ante positio-
nem creaturæ.

INSTAT 2. Mart. d. 14. n. 14. Per hanc sen-
tentiam evanescit insuperabilis efficacia divi-
na, quæ semper impletur, nisi ponatur increa-
ta, & immanens determinatio.

RESPONDENTUR. Etiam nos determinatio-
nem hanc in Deo admittimus, licet quoad suam
immanentiam, & suum elici, sit necessaria quo-
ad Entitatem.

INSTAT 3. idem. Non apparet in nostris
principiis, quæ sit laus præscientiæ divinæ?
Quia nihil aliud esset, quam simplex intelligen-
tia possibilem additâ connotatione; ita ut in-
fallibilitas illius sit tantum exinde, quòd con-
notatio non posset esse alia, nec daretur repræ-
sentatio futuritionis in Deo, quæ non possit à
futuritione discordare; sed sola connotatio à
futuritione resultans, non posset à futuritione
discordare.

RESPONDENTUR. Etiam ipsam notitiam
non posse discordare à futuritione, idque neces-
sariò: Quia Deus etiam à parte sua non potest
res difformiter noscere; licet quòd ita repræ-
sentet, ut potuerit non repræsentare, adeoque
liberè, id referri debeat in connotatum extrin-
secum. Erit autem in hoc laus præscientiæ
divinæ: Quia nihil eam latet ab æterno; & li-
cèt illa entitativè sit idem cum intelligentia
possibilem, non tamen est idem formaliter &
quoad denominationem.

OBJECIT 5. idem. Impossibile est omnino
intelligere, quomodo actus liber possit per ex-
trinsecam creaturam compleri; nam amare est
prædicatum adæquatè intrinsecum; quod
ipsum multis urget.

RESPONDENTUR in hoc, quod est amare,
duo spectari possunt. 1. Tendentia vitalis in a-
mabile, & hæc est adæquatè intrinseca Deo.
2. Tendentia, quæ potuit non esse, & hæc in re-
cto importat Deum, in obliquo aliquid crea-
tum. Idem dic de scientia, quòd scilicet vitalis
expressio objecti sit intrinseca Deo; sed expres-
sio quæ poterat non esse, non est adæquatè in-
trin-

R. P.
H. MŁOD
NOWSKI
bim. de. Z.
D. VI

trinfeca. Et licet Deus si consideretur secundum prædicata essentialia, non plus connectatur cum existentia lapidis, quam cum ejus non existentia extra circumstantiam suppositæ v. g. existentia lapidis, secus in dicta circumstantia; essentialiale enim est Deo, si supponatur circumstantia existentia lapidis, ut dicat illum existere, alias non esset omniscius. Unde ulterius dicitur, non minus Deo esse intrinsecum cognoscere, quam nobis; sed non æquè intrinsecum Deo liberè cognoscere; quia liberè cognoscere dicit posse non cognoscere; in Deo autem nihil est, quod in illo potuerit non esse; secus in nobis. *Ad alias objectiones solvendas*

NOTO 1. Hos actus, volo mundum, non volo mundum: Item, Cognosco existere mundum, non cognosco existere mundum, aliosque similes, posse se compati in divina voluntate, vel intellectu; quia hi actus nec re, nec ratione sunt contradictorii; quia re non sunt contradictoria, quæ re non sunt duo; contradictio enim duorum est: nec ratione, quia non erunt respectu ejusdem, & ratione ejusdem circumstantia, ordinis, &c.

NOTO 2. Actus liber est quidem causa rerum, sed non quæ liber. Ratio, quia quæ liber importat creaturam; quæ seipsam causare non potest: Proficiscitur tamen à causa libera, quia non necessitatur Deus ad agendum.

Unde ulterius non proficiscitur creatura, à causa libera antecederet, sed à causa libera concomitanter; quia in eodem instanti reali, quo liberè aut vult, aut quo præscit liberè, aut causat, respondet effectus, circumstantionando, salvandoque libertatem. Unde ulterius, quando dico; Ideò est mundus, quia Deus vult illum liberè, & ideò vult liberè, quia est, non est circulus vitiosus; quia in priori sumitur actus liber tanquam causa, creatura tanquam effectus; In posteriori autem creatura non sumitur ut causa actus Dei liberi, sed ut connotatum. Et sicut si dicam; Ideò est calefactio, quia est calefaciens, & ideò calefaciens, quia est calefactio, non est circulus vitiosus; Sic & in præsentia.

NOTO 3. Non posse dici in his principiis, quod Deus amet peccatum. Ratio, quia ipsum objectum extrinsecum non est amabile, & si per impossibile illud Deus amaret, deberet prius in objecto, quod est peccatum malitia mutari. Deinde existentia peccati per nos salvat quidem libertatem, ut scilicet dicatur liberè permitti; sed sicut in aliis materiis, ita in præsentia, connotatum non ponet actum in Deo, sed cum circumstantionabit. Unde etiam per nos non aufertur à Deo displicentia in peccato, licet libertas displicentiæ etiam permissionem illius impediens, salvetur ratione extrinseci. Habet autem Deus necessariam displicentiam in peccato, sicut & in unione hypostatica necessariam complacentiam; carentia tamen unio-

nis potest circumstantionare nolitionem unionis, quia ipsa nolitio unionis imperfectionem non ponit in Deo: Sed Deus si haberet volitionem peccati, poneretur in illo imperfectio contraria ejus sanctitati.

Concedimus etiam carentiam peccati, & peccatum esse formas contradictorias; sed nego eosdem actus, & eodem modo circumstantionare; quia peccatum circumstantionatur v. g. actum liberum permissionis titulo causæ primæ, carentia autem peccati circumstantionatur actum efficacem displicentiæ, omnino excludentis peccatum, qui actus non sunt idem formaliter.

Quare autem cum rectum nolitionis mundi habetur in Deo, non denominet Deum nolentem, referendum est in defectum circumstantia, hoc est, non existentiam mundi. Et sicut forme absolutæ subiecto inepto non tribuunt denominationem, ita formæ connotativæ, independenter à connotatis, non denominant.

NOTO 4. Non prius re noscere aliquid Deum, faciendum à se, quam velle; prius tamen ratione; & cum prior sit formalitas modum ponendi objecti representans, posterior volitio adhibendi illius modi; ita semper prior erit scientia, posterior volitio.

NOTO 5. Cum liberè Deus produxerit totum, poterat decrevisse liberè nihil producere; illudque decretum pro connotato dixisset, negationes existentia cujuscumque rei creatæ. Ulterius potest aliquid Deus velle unum idemque, ex motivis contradictoriis in alio ordine, circumstantiâ, ne contradictoria velit. Caterum ut rectè advertit Rosner, potest Deus facere decretum de nihil omnino producendo ex omnibus omnino motivis, exceptis his, quæ involvunt virtualiter productionem mundi. Unde si dicat Deus; Nolo producere ex omnibus aliis motivis mundum, ut illum producam ex hoc uno solo; tunc ex vi ita circumscripti motivi non potest progredi Deus ad decernendum, quod nihil sit omnino producturus; hoc enim motivum est virtualiter volitio producendi mundum; volitio autem producendi mundi, non potest esse motivum nolitionis producendi mundi.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur solutio.

EXpendenda adhuc sunt Argumenta, quæ desumuntur ex iis, quæ adfert Haunoldus contra sententiam Aureoli in quantum illa facere possent contra hunc secundum explicandi modum.

OBJECIT 1. num. 335. Hæc sententia non concordat cum principiis receptis Philosophicis. Cuius à natura principium insitum est, cognoscere & velle non esse extra cognoscendum, sed